



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *OMNIBUS MANIFESTUM*** IMAGO BEATAE MARIAE  
VIRGINIS, QVAE SUB TITULO

«NUESTRA SEÑORA DE MONSERRATE» IN SACRARIO EIUSDEM

NOMINIS PIE COLITUR, PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Omnibus manifestum

est a primordiis evangelizationis Americae Beatam Virginem Mariam vehementer ibi auxiliari, qua de causa a populo

fideli prolixè colitur. Inter antiquiores Dei Genetricis aedes enitescit sacrarium v.d. «Nuestra Señora de Monserrate»,

diocesis Maiaguezensis Patronae, quod etiam totius Portus Divitis Nationis est sanctuarium universosque

Portudivitenses iam a saeculis circa dilectam Matrem et Dominam congregat. Igitur, petente Excellentissimo Domino

Ulixè Aurelio Casiano Vargas, Episcopo Maiaguezensi, qui litteris die XXVIII mensis Aprilis hoc anno datis communia

vota cleri et Christifidelium expromit, concedimus libentes ut pulchra multisque gratiis praeclara imago Beatae Mariae

Virginis, quae sub titulo «Nuestra Señora de Monserrate» in sacrario eiusdem nominis pie colitur, Nostro nomine et

auctoritate pretioso diademate redimiri possit. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum*

*Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iulii, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.* ANGELUS card.

SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana